



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

174. An beneficiarius si incidat in excommunicationem, sit privatus fructibus, redditibus, seu distributionibus beneficij? Sive excommunicatus sit Curator animarum, siue Canonicus, sive habeat ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

est, ergo etiam est incapax ad accipiendum beneficium, atque ita talis acceptatio nulla erit. Sed respondentur, hoc argumentum solum probare illam acceptationem non esse validam quantum ad acquisitionem juris, quod etiam nos fatemur, non tamen esse invalidam, quantum ad consensum declarationem, in quo sensu procedit nostrae conclusionis doctrina; itaque si post talem acceptationem absoluitur ab excommunicatione, non est opus alia nova collatione, aut acceptatione, sed cum primum absoluitur, acquirit jus in beneficium, & non antea: unde si post absolutionem moriatur, illud beneficium vacat de novo; sed verò si moriatur antequam absoluitur sit, etiam post acceptationem, quia in hoc posteriori casu nondum beneficium acquisierat, & ita non vacat de novo, quod attendendum est, ut sciat utrumque ejus collatio pertineat. Ex quo infero quod si ille, qui ante excommunicationem obtinuerit literas ad beneficium vacaturum, tempore quo vacat, si sit excommunicatus, poterit illud acceptare virtute Bullarum, & acceptatio erit valida, ita ut post absolutionem non desideretur nova acceptatio, sed sola collatio, quia literae ad beneficium vacaturum non conferunt jus sine collatione, cum solum promittant collationem, quae fieri nequit durante excommunicatione, neque opus est ut fiat postea, & idem est de antiquiori Canonico, qui licet sit excommunicatus, potest valide acceptare pinguiorum praebendam, licet collatio suspendenda sit, donec absoluitur. Et ita hanc posteriorem sententiam praeter Doctores citatos ex Vasquez docet Turrianus lib. 2. disp. 16. dub. 2. & Mercerus de Sacram. 3. p. quest. 21. dub. 8.

RESOL. CLXXIII.

An excommunicatus privetur fructibus beneficij, ante excommunicationem legitime obtenti?

Et si excommunicatus est pauper, & fructibus indigeat ut sustentetur, an possit aliquid de fructibus percipere? Ex part. 5. tract. 9. Ref. 104.

Affirmative respondet Filliucius tom. 1. tract. 12. cap. 5. num. 129. Vgolinius de cens. tab. 2. cap. 12. Covarr. lib. 2. var. cap. 13. num. 8. Suarez de cens. disp. 13. sect. 2. Toletus lib. 1. cap. 13. & Mercerus in 3. p. 21. dub. 8. num. 6. quia, ait ille in c. pastoralis, de appellationibus, significat quod excommunicatus non faciat fructus suos, & simul rationem dat his verbis: Illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiae communio denegatur, quamquam particularius probari possit, quod excommunicatus sit ab officio suspensus, ergo etiam à fructibus, quia datur beneficium propter officium, sicut merces propter opus; favent enim verba capituli, si bene expendantur, est enim sermo de illo, in quem sententia excommunicationis lata est, & dicitur consequenter ipsum beneficium spoliari posse; id est, administratione & fructibus beneficiorum, deinde hunc effectum non impedit propter interpositam appellationem, eò quod excommunicatio secum trahat executionem. Verbum quoque, *subtrahuntur*, sonat ipsum factum, non autem praecceptum judici privationis impositum.

2. Sed contrariam sententiam tenet Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 9. num. 81. & Hurtadus disp. 6. de excomm. diff. 1. num. 2. ubi citat Vasquez & Navarr. & docet excommunicationem majorem non privare fructibus beneficij, ac proinde excommunicatum posse adhuc licet percipere fructus sui beneficij, dummodo per se, aut Vicarium satisfaciatur officio, & merito; quia excommunicatio ex eo quod generaliter est privatio communione fidelium, non privat dictis fructibus.

Tom. V.

fructibus, quia perceptio eorum non est communicare cum fidelibus, quia cuilibet excommunicato conferri possent, nec excommunicatio privat illos iure aliquo peculiari, quia si aliquo, maxime iure dicti cap. *pastoralis*, eo autem non fit, quia in eo cap. tantum est sermo de subtractione faciendâ per iudicem media sententia nova superaddita excommunicationi, quod ille, qui consulit Pontificem, supponit; interrogat enim an excommunicatus, qui excommunicatione jam incurta appellavit, possit, non obstant appellatione denunciari, seu publicari excommunicatus, & ad tempus spoliari beneficiis, id est proventus beneficiis; supponit ergo excommunicatione non spoliari, quia potius interrogaret, an excommunicatione ipsa maneret spoliatus, & Pontifex eo supposito responderi posse denunciari, & ei merito subtrahi proventus; sententia verò superaddita iudicis, sicut etiam actu superaddito excommunicationi denunciatur, & haec omnia docet Hurtado ubi supra, qui etiam addit, quod i quamvis de rigore juris excommunicatus eo ipso absque nova sententia iudicis esset privatus fructibus sui beneficij, consuetudine tamen non privatur, quia dicto iuri, quamvis esset, fuisset dicta consuetudine derogatum, & hanc opinionem tanquam probabilem admittit etiam Praepositus in 3. part. questione 2. de excomm. dub. 11. n. 68. ubi sic ait: Notandum communiori sententia excommunicatum privari fructibus beneficij antea obtenti, ex 8. verum, cap. *pastoralis*, de appellationibus, ex quo communius docetur ipso facto eis privari, & suos non facere, ac proinde obligari ad eorum restitutionem ante omnem sententiam. Aliqui tamen censent non privari ipso facto fructibus. Ita glossa in §. cit. ver. *subtrahuntur*, Avila c. 6. cit. disp. 6. dub. 1. Rebuffus repetit. in c. postulationis, num. 8. de clerico excommunicato & excommunicante; citatus à Suar. disp. 13. sect. 2. in fine, qui sentit saltem ex consuetudine non privari, ex qua sententia sequitur non teneri ad eorundem restitutionem ante sententiam iudicis, quod non videtur omnino improbabile, cum contrarium non sit ita evidens. Ita ille. Unde Mercerus ubi supra, licet suam opinionem putet esse veram ex dispositione juris, addit quod quia non soleat excommunicatus privari fructibus beneficij sui, potest se conformare huic consuetudini, quia cum jus illud sit positivum, potest ei derogari per contrariam consuetudinem.

3. Sed stando in prima opinione, quaeritur, an si excommunicatus sit pauper, & fructibus indigeat ut sustentetur, possit aliquid de fructibus percipere? Affirmat Avila 2. part. disp. 6. dub. 5. conclus. 5. ejus fundamentum est, quod iste potest fructus restituendos dare pauperibus, ergo potest reservare sibi, cum non videatur peioris conditionis, quam ceteri pauperes. Confirmatur. Nemo obligatur rem alienam restituere, qua indiget ad sui sustentationem, ergo. Sed contrarium tenet Cornejo in 3. part. tract. 5. de cens. disp. 10. §. 6. dub. un. n. 4. quia cum haec sint bona Ecclesiae, non potest contra ejus voluntatem sibi usurpare quovis praetextu necessitatis non extremæ, quæ hic esse non potest, cum iste excommunicatus possit pro sua voluntate à contumacia discedere, & fructus percipere, & victum alio modo sibi procurare.

RESOL. CLXXIV.

An Beneficiarius, si incidat in excommunicationem, sit privatus fructibus, redditibus, seu distributionibus beneficij?

Sive excommunicatus sit curator animarum, sive

1 3

Cano

Canonici, siue habeat beneficium simplex? Ex part.

4. tr. 4. & Misc. Resol. § 4.

Sup. her in §. 1.
rel prateri-
ta.

DE hoc casu olim per litteras consului fui, & affirmativam sententiam docet Toletus lib. 1. cap. 11. Garzias de beneficiis tom. 2. part. 7. cap. 13. num. 92. Filiucius tom. 1. tract. 1. 2. cap. 5. n. 129. Suarez de cens. disp. 1. sect. 2. n. 4. Henriquez lib. 13. c. 13. n. 4. Sayrus de cens. lib. 2. c. 5. n. 14. Reginaldus tom. 2. lib. 32. tr. 1. c. 7. n. 36. Moneta de distrib. part. 2. q. 15. n. 2. Covarruvias lib. 3. var. c. 13. n. 8. Alterius de censur. tom. 1. lib. 2. disp. 6. cap. 8. & alij penes ipsos asserentes, excommunicatum non facere in conscientia fructus suos, ideoque abique alia sententia teneri illos restituere, vel curare eorum condonationem à sacra Pœnitentiaria exposita causa paupertatis, vel ignorantie, vel injuste excommunicationis, vel diligentie, in procuranda absolutione, sed dilata culpa aliorum; & ratio est, quia id exprimi videtur in cap. pastoralis, de appellat. dum dicitur, illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.

2. Sed ego tunc negativam sententiam mordicus sustinui, & consulenti liberavi à restitutione magnæ quantitatis, quia excommunicatio ex eo quod generaliter est privatio communis fidelium, non privat dictis fructibus, quia preceptio eorum non est communicare cum fidelibus, nec excommunicatio privat illis iure aliquo peculiari, quia si aliquo, maxime iure d. c. cap. pastoralis; eo autem non fit, quia in eo cap. tantum est sermo de subtractione faciendâ per iudicem media sententia nova superaddita excommunicati, quod ille, qui consuluit Pontificem, supponit, interrogat enim an excommunicatus, qui excommunicatione jam incurta appellavit, possit non obstante appellatione denunciari, seu publicari excommunicatus, & ad tempus spoliari beneficiis, id est, proventus beneficij: supponit ergo excommunicatione non spoliari, quia potius interrogaret an excommunicatione ipsa maneret spoliatus, & Pontifex eo supposito respondet posse denunciari, & merito subtrahit proventus, sententia videlicet superaddita iudicis; Sicut etiam actu superaddito excommunicationi denunciatur, & hanc sententiam negativam docet Præpositus in 3. part. D. Thom. q. 2. de excommuni. dub. 11. num. 68. Hurtado de cens. disp. 6. diff. 3. num. 3. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 3. disput. 51. num. 22. Coninch de Sacrament. disput. 14. dubit. 93. n. 80. Vasquez opuscul. de beneficiis cap. 3. §. 3. dub. 4. num. 229. Navarra de resitut. lib. 2. cap. 2. num. 238. Avila de censur. part. 2. cap. 6. disput. 6. dub. 1. cor. cl. 2. & alij penes ipsos. Igitur cum Doctoribus citatis dicendum est in tali casu non adesse obligationem restituendi modò beneficiarius excommunicatus exequatur onera & officia beneficij, siue excommunicatus sit curator animarum, siue Canonici, siue habeat beneficium simplex. Imò addo cum Hurtado loco citato, quod quamvis de rigore juris excommunicatus eo ipso absque nova sententia iudicis, esset privatus fructibus sui beneficij, consuetudine, tamen non privatur, quia dicto juri, quamvis esset, fuisset dicta consuetudine derogatum.

RESOL. CLXXV.

An recipiens beneficium animo illud resignandi, vel permutandi, peccet mortaliter, & incurrat in excommunicationem latam per Paulum IV. & reservatam Papæ? Ex part. 8. tr. 7. & Misc. Resol. 14.

§. 1. **N**egativè respondet Lessius lib. 2. cap. 34. du. 5. disput. 45. num. 12. Castus Palaus tom. 2. tr. 15. disput. 4. punct. 7. num. 11. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia recipiens beneficium non est obligatus illud semper retinere, sed potest illud permutare, vel resignare, ut passim efficitur. Ergo habens hanc voluntatem cum beneficium suscipit, nihil juri contrarium facit, tamen si unico die illud retinere proponat, & idèd Vasquez de benef. cap. 3. §. 2. dub. 1. n. 43. sic ait. Dico quod non est peccatum quodcumque beneficium recipere, donec pinguius possit obtineri, nec obligatur iste ad restitutionem fructuum, quia ista, nec alia beneficia curata non postulant animum perpetuè illa habendi, & ob ea serviendi, sed fructus respondent labori præsentis. Ita Vasquez.

2. Sed his non obstantibus affirmativam sententiam docet Filiucius t. 1. tr. 41. c. 5. n. 43. ex Bulla Pauli V. prohibentis sub pena excommunicationis latæ, & Papæ reservatæ, recipere beneficium animo resignandi, vel permutandi.

3. Verum novissimè Ioannes Machadus de peccato Confess. tom. 1. lib. 3. part. 3. tr. 1. docum. 8. num. 11. circa præsentem quæstionem, & opinionem Filiucij, sic asserit. El quanto requisito es, que el que huviera de adquirir el beneficio no tenga intento de resignarlo por lo qual siempre, que se consioren en la Curia Romana, se le pide juramento al Beneficiado de que no le recibe con animo de resignarlo.

4. Que peccado sea tener semejante animo, es una quæstion muy dudosa. Porque Filiucio refiere una constitucion de Paulo IV. por la qual prohibe el recibir beneficijs con animo de permutarlos, o resignarlos lo pena de decommunion mayor reservada à la Sede Apostolica, esto jure lata, y privacion de todos los beneficijs, e inhabilidad para conseguir otros despues, sin que para muerfo de las dichas penas sea necesaria declaracion, ni sentençia del Luez. Palabras son traducidas de Filiucio.

5. Por otra parte considero, que muchos Autores que he visto sobre el punto ninguno haze mencion de la dicha Bulla; y muchos enseñan, que no es peccado mortal tener semejante intencion el que ha de recibir el beneficio, fundados en que si es licito a tiempo hazerlo, tambien lo sera al principio tener esse animo, con que me persuado, o que Filiucio refirió demas la dicha Bulla, que la ignoraron todos lo demas, o que ella no esta recibida. Ita Machadus.

6. At dubitare de dicta Bulla Pauli IV. addita à Filiucio, est error clarus; nam invenitur in Bullario tom. 1. sub nomine Pauli IV. consuet. 11. & incipit. Inter cetera, & fuit edita die 27. Novembris 1557. & illam etiam per extensum apponit Gonzales in regul. & Cancellar. glossa 15. num. 90. Quod autem non sit usus recepta, est falsum, nam in Romana Curia petitur juramentum, quod non accipitur beneficium animo resignandi. Cogita tamen, an dicta Bulla Pauli IV. sit intelligenda de recipientibus beneficia, ut resignent in favorem illius, qui de vacatione dedit notitiam, ita quidam Modernus: sed ego video praxim Romanæ Curie esse in contrarium, nam absolute petit juramentum, & absolute loquitur Pontifex in Bulla, & omnes Doctores, qui tangunt difficultatem Bullæ loquuntur de resignatione facta quibuscumque personis. Rejeda itaque hac opinione adhæreo sententiæ Garcie tom. 2. part. 11. cap. 3. num. 291. asserentis Bullam Pauli IV. intelligendam esse de habentibus beneficium, & intentionem resignandi beneficia postmodum statim, seu infra parvum tempus: non de habentibus animum & intentionem ea resignandi post aliquos annos, seu longum tempus, in hoc enim nulla apparet inordinatio, nec tenetur quis habere animum tenendi semper beneficium, & ita videtur ult.